Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quod totum tempus preteritum intelligitur. Insuper et modo impeditioris et tardioris lingue sum ex quo michi loqui cepisti. Deficiat enim omnis sapientia et eloquentia summe illi et incomparabili sapientie et eloquentie comparata. Nam et in hominibus hoc sepe contingit ut aliquis qui se sapientem putabat esse cum aliquo sapientiori ratione mox quid minus habeat et quantum ad discendum indigeat colloquendo intelligat. Dixitque dominus ad eum. Quis fecit os hominis. aut quis fabricatus est surdum et mutum uidentem et cecum. Nonne ego. Ego inquit omnes feci. ego propria dona unicuique largitus sum. Ego eloquentem et mutum sapientem et insipientem creaui. Non amisi potestatem facio quod uolo. Perge igitur et ego ero in ore tuo. Ego cui nec sapientia nec eloquentia deerit docebo te quid loquaris. At ille obsecro inquit domine mitte quem missurus es tantumque negotium alij ad agendum committe. Iratus dominus in moysen ait. Aaron frater tuus leuites scio quod sapiens et eloquens sit. Leuites autem erat quia primogenitus. Loquere inquit ad eum omnia uerba mea et ego ero in ore tuo et in ore illius. Ipse loquetur pro te ad populum et quia eloquens est adimplebit officium oris tui. Sacerdotum igitur est loqui ad populum. Tu autem eris ei in hijs que ad deum pertinent sicut internuntius et mediator. Abijt moyses et reuersus est ad Iethro cognatum suum. Dixitque ei uadam in egiptum uidere fratres meos. Dixitque Iethro uade in pace. Dixit ergo dominus ad moysen. Reuertere in egiptum. mortui enim sunt qui querebant animam tuam. Manifestum est igitur quia non solus pharao querebat occidere moysen. Omnes autem reges egipti pharaones dicebantur. sicut et reges romanorum cesares dicuntur. Alius igitur pharao modo egiptijs preerat. qui illi quidem successerat quem fugerat moyses. Tulit ergo moyses uxorem et filios et imposuit super asinum reuersusque est in egiptum. Dixitque ei dominus. Vide et cuncta signa facias coram pharaone que tibi facienda precepi. Ego indurabo cor eius et non dimittet populum. Quid est hoc domine. Tu indurabis cor eius. Tu enim ut apostolus ait cui uis misereris et quem uis induras. Quod si tu induras eum nemo resistere potest. quid ad pharaonem. Cur qui populum tuum dimittere non potest. ideo punitur quia non dimittit. Non potest quidem quia induratur. a quo. a te. Tu enim dicis ego indurabo cor eius. Aliter igitur est intelligendum. Quod enim dicitur ego indurabo cor eius tale est ac si diceret ego cor eius indurari permittam. nullam uim ei faciam totum se sibi dimittam. faciat quod uelit. ut siue bene siue male egerit totum sibi et non michi imputetur. Miser ille qui sic sue uoluntati relinquitur. Hic ergo colligitur quia quod boni saluantur dei gratia est. qui eos sue misericordie freno ad se trahens etiam cum peccare uelint eos peccare non patitur. Hoc autem non uim faciendo. sed cor molliendo et in melius inmutando. Quod uero mali pereunt iustitia est. Que enim seminauerit homo hec et metet. Nunquid enim humana natura sic ad malum procliuis est ut nisi coacta bene agere nequeat. Ex hoc ergo apparet quam iniquus pharao iste fuit qui totiens flagellatus qui tot miraculorum signis nullo insito et naturali bono ad misericordiam flectebatur. Noluit ergo eum deus emollire ne fortasse bonus putaretur qui sponte tam malus et iniquus erat. Sequitur. Vade dic pharaoni filius meus primogenitus est israel. Dixi tibi dimitte filium meum et noluisti. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. Primogenitus namque dei filius est israel non natura sed gratia. Hec enim gens prima omnium a deo electa pre cunctis dilecta fuit. Cum autem omnia primogenita egipti interfecta sunt tunc et primogenitum pharaonis interfecit dominus. Non enim est personarum acceptor deus. Cumque esset moyses in itinere in diuersorio occurrit ei dominus et uolebat occidere eum. Tulit illico sephora acutissimam petram et circumcidit preputium filij sui. Tetigitque pedes eius et ait. Sponsus sanguinum tu michi es. Ex hoc autem datur intelligi quia iam moyses de filio circumcidendo admonitus fuerat. Sed quia mater eius alia lege uiuebat ea fortasse resistente aut non potuit aut neglexit. Non igitur iam nunc admonetur sed quodammodo cogitur ut eum circumcidat. Si enim ad fratres suos qui omnes circumcisi erant filium suum incircumcisum detulisset quasi dei pacti preuaricator scandalum eis mouere poterat. Tulit igitur sephora acutissimam petram. Petra autem erat christus. Et circumcidit preputium filij sui. Hac enim petra et uidei